



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

& inuento eo super Salam fluuium, responsa cum literis placida retulerunt.

CAPVT XIX.

ANnus erat quartus Imperij, itemq³, post octingentos à Christo, cum omni iam Saxonia quiescete, soli Transalbini, nunc Holsati, motus continuârunt: quarum rerum pertesus Imperator, misit exercitum, qui omnes trans Albim habitantes, duxit in Franciam: et pagos Transalbinos dedit Obotritis. Hac est illa Germanica nationis origo, per rura Galliarum disseminata. Indè sunt Brabantini, indè Flandrenses, in solo Gallico manètes, origine Germana. Sed difficile est, Gallico sub calomniantes homines, agnoscere vt velint natales suos: Erubescunt enim, si dijs placet, Germanicam originem: cum indè, teste Tacito, Treueri sint vltro ambitiosi, vt euadant Gallicam segnitiam. Per quæ tempore Gotfridus rex Danorum venit ad limitem regni sui in Slesuicum: promisit autem se Imperatori occursurum, quod non impleuit. Narrant tamen rem aliter Dani, quod in Dania diximus. Misit autem dictus rex Imperatori nuncios suos in locum Holdensten ad Albim. Quæ etiam tempore nunciatum est Imperatori, sanguinem Domini repertum in Mantua: & pro eius rei indagatione misit ad Papam, qui illi in Lombardiam occurrit. Karolus venienti obuiam misit filium Karolum, qui illum deduceret: natale Domini vnà peregerunt, contuleruntq³, pariter Aquisgranum: donatumq³, magnificè pontificem, per Bauariam redire volentem, deduci fecit vsque Rauennam. Anno proximo filius Karolus magnas res in Bohemos peregit: & duces terræ Lethonem occidit. Sexto deinde anno Imperator filijs regnum diuisit, vt scirent viuo patre, quid esset quisque habiturus: quod

quod etiam decretum Imperatoris, voluntate procerum est approbatum. Inclaruit ubiq³ vehementer Karoli nomen etiam ultra mare. Nam anno septimo legati regis Persarum Imperatori preciosissima detulere munera: Tria tentoria capacissima, pulcherrimaq³: omnia byssina, tam funes quam vela: pallia serica, vnguenta, balsamum, horologium ex aurichalco, arte mechanica mirifice fabricatum: in quo duodecim horarum cursus ad clepsidram vertebatur: cum totidem pillulis, quæ in completionem horarum cadebant: & casu suo subiectum cymbalum tinnire faciebant: additis duodecim equitibus, qui per totidem fenestras completis horis exibant, & impulsu suo fenestras prius apertas clauderant: & alia multa miraculo digna. Per quod tempus anno Imperij octavo, cum Gotfridus Danorum rex Obotritos oppugnaret, misit Karolum pater cum exercitu, qui regi oppositus pralio cõflictavit: nec sine mutuo detrimento ab inuicem discessere. Eam credo esse pugnam, quam memorant Dani, cum crederent Imperatorem adesse, qui erat Karolus Imperatoris filius: & tamen in eo pralio Franci sibi, Dani parti suæ victoriam inscribunt.

CAPVT XX.

Decimo anno Karoli Pipinus filius rex Italiae Venetias sibi parere coëgit. Tum verò Imperator se parat in Danorum regem, qui ducentis diceretur appulisse Phrisiam nauibus: iactabundus quoddam in terram egressus, Imperatori occurreret. Expectavit eum Imperator, positis castris ad Visurgum fluiuium. Interea nuntij discurrunt, afferentes occisum vel à satellite, vel à filio Gotfridum. Ità ille apparatus concidit. Iam verò dudum Hamburgo constituerat sacerdotem Karolus,

H quem